

Primo quia ad te uado ne uia. **Just** He uia

Ho Dne do' nre. In dno fido. Celi emant.

Dne in uirtute. Dni est te. **Exaltabo**
te dne. **Exaltare** dne iure. **Respō.**

musical notation consisting of square notes on a four-line staff.

et passionē suam q̄ dies quadraginta apparet

musical notation consisting of square notes on a four-line staff.



13

ΣΤ'Ν ΘΕΩ ΚΑΙ ΝΩ.

JACOBUS ΑΦΡΑΤΟΣ

SEU

JUSTITIA DE JACOBO TESTIFICANS

Genes. 30. v. 33.

hoc est:

QVÆSTIO

AN

JACOBUS

CALLIDE CIRCUMVENIENS HERUM
AC SOCERUM LABANUM

RECTE FECERIT?

IN GYMNASIO MULHUSINO,

TRIBUS ORATIONIBUS PERTRACTATA, INQVE

PUBLICO EXAMINE A DISCIPULIS

EXHIBITA

DIRECTORE

M. GEORGIO - ANDREA FABRICIO,

Poëta L. Cæs. Gymnasiarcha.

III. KAL. MARTIAS

ANNO CHRISTIANO

clō lcc XXIX.

MULHUSI,

PRÆLO STANGIANO.



OMNIBUS AC SINGULIS
GYMNASIO & SCHOLÆ MULHUSINÆ addictis
S. P. P.

DEI OPT. MAX. AUSPICIO
DE PATRUM VOLUNTATE
PUBLICVM EXAMEN
SCHOLASTICVM

Ad diem XXIII. Februarii & seqq.

Instituendum indicimus:

Diligentioribus præmia, & ad altiora promotio-
nem promittimus.

EXAMINE PER OMNES CLASSES INFE-
RIORES PERACTO,

In Classe GYMNASII primâ & præcipuâ

Ad diem XXVII. Februarii, horis pomeridianis

DECLAMATIO PUBLICA

INSTITUETUR:

Qua in statu Jureddiciali agitabitur

QVÆSTIO:

An

JACOBUS CALLIDE CIRCUMVENIENS HE-
RUM AC SOCERUM LABANUM

RECTE FECERIT?

ORATIO itaq;

Prima erit *Qvæstio* seu criminis intentio, quâ Labanus Jaco-
bū servum ac Generum coram Judicibus furti reum aget.
Personam sustinebit Jacobus Lembken Verdensis Saxo.

Secunda

Secunda erit *dei* *Qæstio* seu Depulsio, quâ Jacobus seipsum defendet, & innocentiam suam demonstrabit. Personam sustinebit Andreas Wolfius Elricensis Cheruscus.

Tertia erit *5a* *Qæstio*, ex consuetudine illa nata *Qæstio*: an Jacobus rectè fecerit, Herum & Socerum suum ita callidè circumveniendò? Eam pertractabit ac decidet Judex; cuius Personam sustinebit Johannes Mylius Northufanus Thuringus.

Quibus isto die, ad hunc modum, exhibitis,
Ad diem seqq. XXIX. Februarij, horis antemeridianis
DISPUTATIO itidem PUBLICA habebitur:

De Naturâ, Definito, Definitione, Genere, Formâ, Fine, Subjecto & Partitione Logices;

De annexis item *Qæstionibus* Philosophicis alijs:
in quâ

Sub PRÆSIDIO GYMNASIARCHÆ
Respondebit

JOHANNES Schneider Kerstlingerodensis,
ACTUI DISPUTATORIO ORATIUNCULAM
præmissurus

De conservanda Libertate Philosophicâ.

Ceteri verò GYMNASII Discipuli, quoi quos audiri poterunt, ordine opponent.

Fac, DEUS, ista tuo feliciter omnia cedant
Auspicio, fiantq; tuo solius honori!

P. P. GYMNASIARCHÆ & RECTOR
M. GEORGIUS-ANDREAS FABRICIUS,
Poëta L. Cæsareus.

AMPLISSIMO, CLARISSIMO
VIRO,
DN. JUSTO

von Dransfeldt J. U. CANDIDATO,

PATRICIO ET QVONDAM CONSULI
GOTTINGENSI

DIGNISSIMO:

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,
SE QVENS HOC STUDII ORATORII
SPECIMEN

MORIS, AMORIS ET HONORIS ERGO
D. D. O.

EX SORORE NEPOS

JACOBUS Lemblen VERDENSIS
G. M. A.

Accipe, AVUNCLE, mea hæc quæ mittit munera,
Jure tibi dudum debet amica manus: (quæq;
Accipe: fecit amor, svasit mos, candor aperti,
Quod summum est, animi me jubet ille tui.
Parvula sunt; fateor, verum ne parvula, quæso,
Contemnas, fructus profluet hinc melior.



Σὺν Θεῷ καὶ ἡμῶν.

ORATIO PRIMA.

Scripta & habita

à

JACOBO Lembken VERDENSI
SAXONE.

SI quid est in me industria, Judices & Assessores Amplissimi, si quid, inquam, in me est industria, si qua apud me alacritatis flammula residet, quam sentio, quam sit exigua; aut si qua curandarum augendarumve rerum experientia, in qua me non ultimas prorsus ferre partes haud infiteor; aut si hujusce rei ratio aliqua, ex fervida patrisfamilias curanda familia intentione profecta; illarum rerum omnium summum certe studium domui ac familiae meae impendere meo quodam jure debeo. Nam, quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis & pueritiae memoriam recordari ultimam, totus inde usque arsisse videor, studio summo summamque contentione, ut diligens privatarum aedium gubernator, sedulus proventus domestici curator, agrorumque simul ac hortorum gravis excultor evaderem. Nec mirum; nec insolens institutum. Si enim paulo altius prisca veterum acta mecum repeto, avorumque vestigia intueor, quanta, queso, alacritate, quantum etiam sedulitate domui servanda ipsi operam dederunt! Quin illos potius principes mihi video & ad suscipiendam, & ad ingrediendam gubernanda domus ratione existisse.

A 3

Quod

Quod si ita se habere jam constat, ut non natura solum; sed & voluntate plane allectus huic vita generi deditum me certo indubitatoque sentiam, nullo reclamante jure, nulla reluctante lege, merito me omnino facere posse puto, si quod mihi cum servo meo minimè frugi intercessit, aut intercedet protinus negotij, effectui quamprimum dare incipiam. Patre enim familias connivente ad nequam ista servitutis scelera, tandem nescio quò ea videantur evasura, cum servi omni quidem ope & opera, quantum erat situm in eis, rei herili servire, imò servare eam debebant; quomodo autem vel serviant vel servant, experientia apud omnes, credo, plus satis comprobatur. Unde & mihi non potest non esse exploratum jam illud Poëta:

Quis non servili Dominus fraudatur ab arte?

Prodigium servus grande fidelis erit!

Ac ne quis vestrum, Judices, miretur, quid sit, quod me precipue impulerit, ut tantoperè excandescam, dicam servo gravissimam impingere, consanguinitatis vincula rumpere, meum ex sorore nepotem & jam generum indignis modis excipere haud reformidem. Verùm si rem in propatulo habueritis positam, non esse, quod adeò demirandum veniat, sum arbitratus. Neminem enim consanguinitatis vinculo junctis ita deditum, & vel consecratum esse debere æquum est, ut susceptam propterea rerum domesticarum curam deponere, sed & familia sustinenda ac promovenda sollicitudinem abjicere debeat. Quin æquitati potius & divini juris legi congruum esse putatur, in domo curandà oculos in occipitio habere, omnesque angulos emissitij illis indefessè permeare operà nunquam cessare. Sic rei me familiari; non autem, ut bona mihi vivo mea subtrahere alium fraudulenter sinam, prospicere oportet. Hac igitur viâ
insistens,

insistens, alios, qui adsunt, arctiori adhuc vinculo mihi con-
junctos censeo, quibus ut deditus sim magis naturæ vis & ne-
cessitudo postulat. Ac licet cui vestrum mirum fortè videatur,
me, in judicio publico, apud severissimos judices, hoc uti genere
dicendi, quo Dominus contra servum assurgat, & de ipsius,
quibus eum circumvenit, dolus verba faciat: Quod ipsum
non modò à consuetudine judiciorum; verùm etiam à foren-
si sermone abhorreat; quæso à vobis, Judices, in hac causa mihi
detis hanc veniam, accommodatam huic meæ personæ, ut me
de summâ servi fraudulentia ac nequitia, mihi ab illo præstitâ,
hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestrà humani-
tate patramini paulò loqui liberius, & de ejusmodi quidem
persona, quæ propter avidum habendi, aliosq; proprijs serviens
commodis, nequitiosè fallendi studiû in servitute sua malitiosè
versata est, uti propè novo quodam & inusitato genere dicendi.
Quod si mihi à vobis tribui concediq; sentiam, perficiam pro-
fectò, ut hunc Jacobum servum meum, non astutum modò &
infidelem sese hætenus in obeundo à me sibi demando mî-
nere præstitisse; sed manifestè etiam furti reum exstitisse, imò
existere etiamnum putetis. Nam ut primùm ex pueris
excessit Jacob, ut in justo virilis ætatis flore jam esset constitu-
tus, atque ijs rebus, quibus ætas puerilis delectari solet, vale-
dixit, nescio cujus jussu aut monito cælum mutare cœpit, &
Bersabâ (ubi natus est, urbe sat laudabili & celebri, parenti-
bus item nullis honesta fame laudibus destitutis) in Padan
Aram sese contulit: quò cum appulisset, cum filijs meis, quos
sibi, non sine singulari Numinis fato, obvios habuit, verba cõ-
mutavit quàm familiarissima.

Quin

Quin & adventus ipsius in totâ urbe & universâ domo meâ
sic celebrabatur, ut gratius nihil unquam mihi accidere potuis-
set. Cùm enim rumor ille ad me esset delatus, expectatione ni-
vi hospitis superatus, quin adventanti illi obviam venirem, e-
umq; osculo susciperem, intermittere nullo modo potui. Itaq;
cùm tanto adventus ipsius gaudio omnes essemus perfusi, hospi-
tem ipsum nacti gratissimum, eumq;, ut fas est, liberaliter ex-
cepimus, beneficijs affecimus, & dies aliquot latè ac lautè cum
ipso peregimus. Ille verò, cùm filia mea alterius, Rabelis for-
mâ miserè allectus amoris flammâ secum concepisset, ut sibi
eam

Connubio junctam stabili propriamq; dicarem,
obnixè & enixè petijt, seq; per septennium integrum servum
mihi hoc nomine vicissim obstrinxit. Interim satis longo in-
tervallo, cùm servitus ista ad finem esset perducta, ipsum, cui
filiam non unam, sed utramq; in matrimonium locarem, dignû
judicabam. Erant amba formâ & etate integrâ, vitâ & mo-
ribus honestissimis, adeò modesta, adeò venusta, ut nihil suprâ.
Cùm enim viderem, magis magisq; senium mihi ingravescere,
plurimisq; annis me jam oneratum, pactionem istam matrimo-
nialem ideo consulcam putavi, ut aliquod senectutis meæ habe-
rem solatium, vitamq; negotia ac pericula ex improviso assidua
& propè quotidianâ aliâs habentem, feliciorém jam beatioreq;
cum illo traducerem. Data igitur illi fuit civitatis jure ac
lege Lea primùm; data deinde Rabel in matrimonium, eâ spe,
fore ut grati animi hominem vicissim se exhiberet. Non multò
post, cùm aliquando servum, qualem se præstiterit, essem explo-
raturus, mihi nec opinanti nec malum præcaventi gravissimè
ab illo esse impositum, vanaq; prorsus spe lactatum videbam.
Ille

Ille enim, cum desolvenda pro servitio mercede mecum expo-
stularet, mihi eam, qualem & quantam sibi debitam & suffi-
cientem arbitrabatur, prescribendo digitis quasi supputavit.
Ut autem eo magis ipsi suffragarer, viâ ad propria bona meo
cum dispendio augenda excogitatâ, ad faciendam secum de o-
vibus & capris segregandis rationem facile persuasit: ut au-
tem eò citius procederet, statim eam aggrediebatur, & agnos
ac capros albos à maculosis separabat, eosq; qui maculis asper-
si erant, mercedis loco poscebat. Porro, cum nec istis esset con-
tentus, aliam, verum fallendi, propriaq; bona cum illius im-
pendio augendi gratiâ ilico machinatur fraudem, & gregi al-
bo, quem mihi tribuerat, virgas denudatas in canales aquari-
os, ut super ipsis conciperent, & conspersorum numerum par-
turientes adaugerent, adponit. Factum igitur illud ne ex ne-
quam & fraudulento animo videretur perpetrasse, pacto me-
cum inito adductum se fuisse cautè pretendit. Verum, licet
nullius propterea fraudis reum se putet esse, aut omni suspicio-
ne se solutum iri speret, fraudem tamen illâ pacto maximè re-
fragari res clamat ipsa. Non enim gregem suum in ingen-
tes augeri numeros posse putabat consueto nature cursu, nisi
fraudulenter & satis nequitiosè eum impediret. Neque ita
propria consulere rei animum induxit solum; sed omnes
etiam vires, omnesque conatus eo intendit, ne quicquam sani
aut boni ad me rediret. Nam cum ipse, pecudum noticiam
habens, fortiores incallescere sentiebat, mox ecce scelerum ma-
chinas, hoc est virgas illas decorticatas in canalibus ponebat, ut
incallescere ad illarum adspectum pecudes. Contrâ verò
cum serotina greges faciebant, dolosus simul ac malitiosus eas-
dem non ponebat: quâ causâ? nullâ certè aliâ, quam ut sero-
tina,

B

tina,

tine, hoc est, languida & invalida pecudes mei solius essent; fortiores verò eius. Quò tanto scelere meus ille, servus dicam, an herus? sic crevit, ut ipsius jam sint omnia; sint oves, sint boves; sint cameli, sint asini; sint armenta, sint jumenta; sint servi, sint nervi; sint filie, sint ancille: mihi contra nec sint oves, nec boves, nec cameli, nec asini, nec armenta, nec jumenta, nec servi, nec nervi, nec filie, nec ancilla, hoc est, nihil: aut si quid reliquum, sit nil nisi serotinum & putidum; album & invalidum; candidum & languidum.

Si ergò nihil aliud, Iudices, nisi de eo dicimus, quomodo ille mecum egerit, quomodo serviendi munus apud me obierit, quantà calliditate herilibus rebus obfuerit, quantà astutia, quantisq; dolis illas ad se rapuerit, nihil dico amplius, causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Jacobe, potest? Naturamne cursum te impedivisse negabis? Socerumne & herum tuum manifestà manifeste detractionis fraude te perdidisse inficiis ibis? Adest rerum ipsarum testimonium omni exceptione majus, quod gregem meum comminueris, tuum auxeris; meo malè prospexeris, tuo bonè consulueris; meum miserum, perditum & infelicem reddideris, tuum contra optimum, innumerum & lectissimum effeceris: Hoccine est humanum factum aut inceptum! hoccine officium servi! prob DEUM atque hominum fidem, quid est? Si non hæc summa impudentissimaque servi & generi in herum & socerum injuria est? Hic tu testes desideras? Adsunt filie meae uxores tuæ, testes domestica, quas non pro te, sed pro me, quo nihil optandum magis auctori, allegare possum.

Annon

Annon illa palàm dicunt & fatentur, abstulisse & sub-
duxisse te patri suo quicquid ipsius erat? atque ex bonis ipsius
omnem tibi gloriam comparasse? Quæ cum ita sint, quid
est, quod de hominis illius infidelitate, corruptâ pravitate &
pravâ corruptione dubitemus? Est hic, ut verum fatear, ho-
mo avaritiâ turpis, calliditate abominandus, perfidiâ impro-
bus: nullo lucro satiatur, nulla copiâ expletur, nullo beneficio,
sine magni sive minoris pretij, mitigatur; imò tali insuper
tantæquè in expetendis augendisvè bonis suis avaritiâ deditus
est, ut omnia mea per fas & nefas, per dura & dira, per æqua
& iniqua sine sine corraserit & congesserit bona, mibiquè mi-
nimam etiam bonorum meorum partem, sed & vitam ipsam
inviderit. Neg, sanè à teterrimo teterrimi furti crimine ab-
stinuit, eo quod herum defraudandi, gregem ipsius comminu-
endi, omniaquè bona auferendi gratiâ fraude malitiâquè u-
sus; insuper gaudio summo, summâquè laticitiâ perfusus fuerit,
si ipse omnia possideret, hero autem quo gauderet nihil super-
esset. O malum perversumque ingenium! O detestabilem
animi contumaciam! Audias vocem non hominis; sed
ipsius J E H O V Æ; non furtum facies: audias hanc
quoque; neque fures, neque avari, neque maledici, ne-
que rapaces vitam æternam possidebunt. Hæc verò o-
mnia & singula tacito, quod ajunt, pede tute præteriens frau-
dem nullo modo intermittis; sed magis magisque eâ in damnû
socerî tui uteris. Nonne ergò hunc, Judices, avarum?
nonne furti ac rapina reum? nonne in manifestâ fraude
detentum, quippe deprehensum censebitis? censebitis omninò:
imò, quia

Judice me fraus est concessa repellere fraudem
Armaq; in armatos sumere jura sinunt.
Ipsimet, nullo habito personarum respectu fraudis poenâ di-
gnum habebitis, ipsumq;, ut eâdem afficiatur, condemnabitis.
Aut dicemus fraudes esse licitas? ô absit! quilibet enim sic
fraudi operam daret, fraude delectaretur, fraude se sustenta-
ret, fraude quastum, ubi ubi posset, faceret. An v. parvi hocce
vel nullius momenti factum pronunciabimus? Atqui summa
hac deceptio, summa fraus fuit. Annon enim fraus sit Do-
minum & Socerum ad pactum fraudulentum persuadere?
non fraus sit artificio, si Dÿs placet, vel potius dolo ipsi natura
vim facere? non fraus sit fortiores omnes Domini sui pecu-
des sibi vendicare, ad se rapere & dolo manifesto pertrahere?
non fraus sit serotinas Domino relinquere, quid dico relinque-
re? etiam ex instituto & pravâ perversâq; animi destinatio-
ne tales efficere? non fraus sit artibus vafriis & callidis delecta-
ri, iisdemq; in damnum proximi uti? non fraus sit Herum &
Socerum sub fidelitatis habitu posthabere, imò prorsus con-
temnere? non fraus sit seipsum sub servili schemate magni
& quidem majorem Domino aestimare? non fraus sit deniq;
de Domini damno & interitu non in sinum modò gaudere clan-
dulum; sed palàm etiam, verum alijs coram irridendo de-
ludendovè, gloriari? Hæcine bona dicemus? hæcine licita
pronunciabimus? hæcine boni frugiq; servi officia exclama-
bimus? Absit, ô absit; quin potius rectè de re quavis judican-
tes, rectè itidem loquentes furtum illud asseverabimus, rapinâ
pronunciabimus; neq; id injuria. Nam si avaritiæ quis sit
deditus, quomodo boni viri nomen obtinebit? si dolo & malis
artibus graviter adbereat, quomodo fidelis, candidi & aperti
pectoris

pectoris laudem merebitur? si rapinam similiq; scelera committat, quomodo bonus, justus & ab omnis generis sceleribus ac nequitijs liber pronunciari poterit? Et si ille, qui unico tantum horum malorum vel levissimo est inquinatus, justus non est; quomodo, queso, noster hic, de quo omnia ista pronunciantur, justus erit? Libenter ex te ipso audirem, bone vir, quâ ratione factum tuum illud justum velis reputare, teq; à rapinis & furtis alienum ostendere? Tu certè ne audere quidem hoc ipsum videris posse, nec in mētem tibi venisse, credo, facere: Mirum enim in modum te attonitum videre videor. Et quid cor tuum salit? quid pallet facies? quid stas? quid frontem perfricas? quid obmutescis? responde. Dico ego te fraudulenter mecum egisse, dico te summam injusticiam in bonis tuis acquirendis exercuisse, malis artibus divitias quasivisse, omniaq; mea, mihi insidiando & nocendo, clanculum sustulisse. Annon enim lucrum à tuis partibus stetit, damnum verò omne penes me fuit? Annon tute Dominum egisti, ego contrà servum? Quid verò requirit veneranda illa lex Justiciæ? quid mandat? quid inculcat? Damnum penes nullum esse vult, fraudem averfatur, dolum malum proscribit, contrà equalitatem jubet servari, jubet equâ lance omnia diligentissimè expendere. Hanc tu, cum in immensum excrecere, cum ditari volebas, observasti? ad Justitiæ te castra contulisti? equalitatem sectatus es? Observasti, sectatus es, si Dÿs placet: quin potius mutatâ vice, mutato nature cursu, mutato jure ipso fraude malitiâq; omni usus, maximâ bonorum meorū partem, non attendens, quo jure quâq; injuriâ, tibi vendicasti, minimâ mihi reliquisti. Et hæc justa insuper pronunciare audeas? Sed nempè reverâ Poëta illud de te dici potest:

B 3

Sic

Sic itur, sic sæpè cadunt: ubi vincere aperto
non datur, insidias, armaq; tecta parant.

Fraude perit virtus: ----

Atq; his de causis ad vos, Judices longè prudentissimi,
mibi confugiendum duxi, vestrumq; auxilium submissè implo-
rare debui, ut, quia omne mihi perfugium in vestra bonitate
situm est, adhibitâ justitiâ correctivâ, quæ lucri & damni æ-
qualitatem constituit, ablata mihi bona restituere, illisque
Dominum me vicissim præficere velletis. Quid autem de illo,
qui in bonis suis acquirendis summâ usus est injusticiâ, dice-
mus! qualem illum pronuntiabimus, qui artibus illiberalibus,
herum circumducendo, injusteq; cum illo agendo, manibus pe-
dibusq; operam dedit? Nimirum rapacem pronuntiabimus,
furto, vitijsq; quam plurimis inhonestissimis deditum appella-
bimus: quidni enim? Alteri quippe suum dum detrahit, alie-
num rapit, dum verò alienum rapit, furtum committit, & dum
furtum committit, omnibus in univèrsis sceleribus & malefi-
cijs se involvit, ijsq; conscientiam suam cõmaculat, quam pur-
gare, si non in tempore, difficillimi erit operis. Fur certè ille est,
qui Domini sui res negligit, commodum deserit, manifestâ non
solum sed & occultâ fraude subtrahit, quod potest. Imò cum
Domino, quod suum est, non tribuit, alienum rapit; rapere ve-
rò alienum, quamvis minimum, furtum est: Furq; non solum,
cum quis rem alienam aufert & amovet, sed etiam cum invi-
to Domino eandem contrectat.

Verùm omnia ista prætermittam, & nunc articulatius
paulò de persona ipsa profari incipiam. Intelligo ego & o-
mnibus puto notum, mihi rem esse non cum Domino, aut gra-
vi severâq; aliquâ personâ; sed cum simplici servo, qui cum fi-
delis,

delis, justus, diligens, humilis & ab omni superbiâ alienus esse
debeat, nec Domini nomen sibi ascribere, nedum Dominus ipse
fieri, aut dominium sibi vindicare animum mentemq; induce-
re suum jure potest aut debet. Quippe etiam Dominus
DEUS ipse, servorum quorundam supra heros eminentiam
animadvertens, discrimen inter Magistratum & subditum, Do-
minum & servum sanxit firmissimum, ut nempe subditus Ma-
gistratui & servus Domino subesset, pareret. Consentit &
conspirat ipsa parens rerum omnium Natura, quippe qua ab-
horret ab omni servorum tumiditate, animi elatione, domini
affectatione. Et merito quidem: quid enim futurum, si hic
ordo invertatur? qualia hac de re homines judicia laturos pu-
tabitis, si illi, qui subjecti esse debent, alijs inservire, aliorum
mensâ se sustentare coguntur, superiores evadant, servi Do-
minis non serviant, sed dominantur, ipsis precipiant, mandent,
imperent: Id quod vulgari veteriq; sermone trito jam nota-
tum fuit proverbio:

Asperius nihil est humili cum surgit in altum!

----- nec bellua tetrior ulla est,

Quàm servi rabies in libera colla furentis.

Turpe quidem est, quod de me ipso fateri cogor, non tamen i-
deo reticendum, quin dicendum potius: Servus hic meus Do-
minus ipse est. Quid mirum? Omnia enim & singula
Domini sui bona possidet, illis pro lubitu fruitur, illis gaudet &
palàm triumphat. Hæcine ergo silentio præteream? hæc-
cine impunè abire sinam? non faciam. Etiam si enim o-
mnes in universum homines coram assisterent, pallioq; nescio
quo, velare ac celare hoc ipsum conarentur, nullâ tamen ratio-
ne, nullo modò ferendum arbitror.

Quis

Quis enim non turpe duceret ac diceret? quis non inhonestum atque intolerabile pronuntiaret? quis denique non malignum serioque ulciscendum exclamaret? possidere illum omnia, qui ipsemet à Domino possideri debeat, adeoque possessio ipsa sit. Gentes alique externarum nationum populi servos suos possessiones et mancipia habuerunt, ut quicquid acquirerent, non sibi; sed Dominis acquirerent. Cum enim ipsi possideantur, possidere non sunt visi, unde et jure pro nullis sunt habiti, adeo, ut Domini jus vitæ et necis in eos haberent. Hicne ergo tam potens sit? hicne tantis à DEO donis dotatus sit, ut ipse possessiones Domini sui, imò Dominum ipsum possideat? Merito atque omni jure hic exclamabit aliquis:

Quid Domini facient audent cum talia fures!

Quapropter servus hic meus fidelis non solum non est; sed ne nomen quidem, imò ne nominis quidem umbram promeretur, quippe qui Dominus ipse est, omniaque Domini et socii sui bona possidet, filias, ancillas, agros, pecora et quid non? Fidelis ergo cum non sit, quem tandem dicemus? Infidelem, et quidni etiam furti, et quidem manifesti reum?

Ad portum contenderem, velaque contraberem, nisi removendum aliquod adversarij mei mihi superesset obstaculum, non quòd abhorrere istud, aut nullo pacto refutare posse viderar: non sic, verum ne habeat, in quo gloriari queat, mibi què insultare, qui hoc nihili telo tanquam magnam aliquam inventam machinam succumbere jam me existimat, sibi què victam dari manum postulat. Pactum, inquit, intercessit inter me et te, nullam igitur ratione injuriosus in te esse potui: Volenti enim non fit injuria. Hicne tuum illud telum, et hicne aries et hincne machina tua? quàm mœnia mea si non satis fortiter,
satis

satis tamen audacter adoriri, eaq; pulsare & contundere prorsus cogitas? Age sodes labefacta prius, quam pulses, quam contundas: Verum equidem tuum istud esse, atque tum demum locum invenire argumentum scias, si fraus & dolus cum pacto jungantur, vinculoq; inter se connectantur firmissimo. Verum longè admodum, imò toto, quod ajunt, cælo erras, si istud animum inducis. Annon enim à pactis fraudes & dolos exclusos esse nosti? Et quomodo queso pactum inter me & te observasti? Ideòne hospitio te excepi? eòne tecum contraxi, te amavi, te generum meum habui, fovi, alui? ut me defraudes, damnum inferres, contumelijs afficeres, ludibrio haberes, bona mihi subtraheres, meq; Domini insuper titulo spoliare? non certè ideò contraxi; non pactum constitui. Contraxi tecum in fidelitatem, in amorem, in amicitiam: non ut summam à te injuriam expectarem, sed ut Dominum me tuum agnosceres, cui inservires, debitamq; obedientiam prestares. Insuper etiam in re manifestè & supra modum absurdà, non quomodo verba pacti sese habeant, sed quid sententia ejusdem secum afferat attendendum, omniquè studio servandum duco. Ac licet pietatem tuam fidemq; extollere ipse coneris; tamen reverà

Pelliculam veterem retines, & fronte politus

Astutam vapidò servas sub pectore vulpem.

Quid multis? Puto vos, Judices amplissimi, ex his satis superq; collegisse, servum hunc meum non modò non fidelem fuisse; sed furti potius manifesti reum: quippe qui omnia mea bona mihi insidijs, dolis & fraudibus abstulit, in suum commodum quicquid valuit, valuit a plurima, còtulit, indeq; summas sibi opes collegit. Me verò Dominum & herum suum undi-

C

quaq;

quaq; circumvenit, summam omnibus in rebus injusticiam sibi familiarem habuit, suis minimè contentus vixit, aliena clanculum subduxit: sed quid ad hæc omnia? Dominus ipse est, Dominumq; cum possessionibus possidet. Quapropter dextrum jam à vobis, Judices, hæc de re judicium imploro, rectam de servo hoc meo sententiam ferri cupio; imprimis v. Jacobum hunc ad restitutionem omnium & singulorum mihi ablatorum bonorum cogi, pœnisq; insuper, alijs exemplo, tanto scelere, tantâq; nequitia dignis eundem affici, animum precor.

DIXI!

QVem Verda in trivijs equitare in arundine longa vidit, & è fabulis vix nuper condere cellas; En novus assurgit, fretus juvenilibus armis, Et meliori ardet patriæ dare carbasa famæ. Hujus in ingenio qualis sit fervor, abundè hîc liquet. Illius specimen nuperrima dant hæc, Audax quæ in medium profert juvenilibus annis. Euge! pio in studio, LEMBKENI, pergito semper: Sic semper nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

F. JOHANNES SCHNEIDER Kerstlingerod.

LAudo conatum vehementer istum. Quidni amem? doctam quòd ames Cathedram, mitis AGNI nomine qui vocaris, dulcis amice. Perge, ceu pergis, tere calce semper quam viam tentas. Age, docta Musa gestit ambabus manibus referre munera grata.

JOHANNES EBERHARDI Schönstad.

VIRIS,
REVERENDA DIGNITATE, DOCTRINA, PRU-
DENTIA ET EXPERIENTIA CLA-
RISSIMIS:

DN. M. ANDREÆ REINEMAN, Ecclesię
Bleicherodensis Pastori Primario, & totius
Comitatus Honsteinensis Superin-
tendenti vigilantissimo,

DN. PETRO AUFGANGEN apud Halber-
stadenses JureConsulto & Practico
excellentissimo;

DN. STEPHANO HELMAN Senatori Oste-
rodensi & Negotiatori præcipuo:

Junctim

Dominis Meccenatibus ac Patronis optimis
& plurimum colendis;

His etiam

Cognatis meritissimis,

Subiectum ORATORII studij periculum

Dedicat, offert, insinuat

ANDREAS WOLFIUS ELRICENSIS
CHERUSCUS
G. M. A.



Σὺν Θεῷ ἡγῆ ἡμῶν.

ORATIO SECVNDA.

Scripta & habita

ab

ANDREA WOLFIO ELRICENSI
CHERUSCO.

Altdivistis, Iudices Amplissimi, quàm acriter, quàm acerbè jam sim accusatus & delatus ab isto homine, qui si in cocleari, quòd dicunt, me posset submergere, flumine non uteretur. Quin ergò & mihi patulas aures accõmodari sitis, non modò non dubito, verùm etiam, ut par est, summis à vobis precibus peto atq; contendo. Existimatum enim semper fuit, boni iudicis hoc esse officium, parti non modò uni attendere, verùm etiam alteri aurem benevolam accommodare. Certè si hoc à vobis impetratum, videro, lenemq; auram vestre benevolentia & attentionis me afflare sensero, omnia illa imperterrito animo, quæ de me tam imprudenter, tamquè impudenter sunt prolata & coram vobis sanctissimis viris mihi objecta, non solùm promptissimè diluã, sed id etiam efficiam, ut intelligatis, me non modò ab eiusmodi crimine alienissimum esse, verùm etiam omninò fidelis servi officium fecisse. Primum autem necessarium mihi duco, quædam de persona mea referre. Satiùs enim esset, ac minus mirandum, si avunculus meus me ante fores stipem rogantē,

gantem, ut illi solent, qui aut propter scelera patriâ exulant, aut aspectum hominum fugiunt, hinc inde vagantem, arripisset, in què suam servitutem recepisset, quòd mecum sic modo certè non bono agere instituit. Non autem illum fugit, me non impijs aut obscuris, non ignotis aut inhonestis parentibus natum, sed utroq; pio, justo atq; honestissimo parente, patre nimirum Isaaco, matre Rebecca accusatoris (pietatem videte hominis) sorore. Horum bona fama maculam ego aspergerem? Absit: Siquidem me semper illi à teneris in honestâ pietate & piâ honestate educarunt: Me in adolescentiâ arctè contenteq; habuerunt: Me non otio, sed negotio; non malitia, sed prudentiâ deditum voluerunt. Imò ipse, absit arrogantia, omnem virtutum viam investigare, insistere & percurrere conatus fui; non domi in cavernis deliciarum latitare volui, sed iter ad cognatos suscipere: non temerè, ut qui domi officium obire recusantes, ad alia loca vel spontè confugiunt, vel à parentibus mittuntur, tum ut parentes ipsi onere domestico subleventur, tum ut mali & immorigeri ab alijs exerceantur, & in ordinem redigantur: sed inquam ego à parentibus bonâ pace, bonoq; consilio, imò etiam ardenti voto & benedictione missus & ablegatus; hâc potissimum de causâ, ut è familia Bethuelis avi mei uxorem ducerem & quod sigillatim Parens Optimus volebat & volebat, unam filiarum Labanis hujus avunculi mei: Quid? Ipso DEO Comite in itinere mirabiliter sum ductus, insigniq; confirmatus promissione, omnia nimirum, quæ in ipsius nomine auderem, ipsum approbaturum. Et, ut sine circuitione ad finem veniam, hâc solâ occasione tectum Labanis ingressus, mequè ibi servum professus sum. Ibi verò acceptus primò sum lautè ac comiter, fateor, diligentiam

quæ & fidelitate perspectâ rebus agendis adhibitus; quas cum
summâ fidelitate egissem ac peregissem; ipse ecce Laban avun-
culus verbis amicis me compellans: Nolo, inquit, dum mihi
cognatus, ut frustra servias: dic quàm cupias mercedem? Ego
verò occasionem commodam nactus, & ut patris, optimi senis,
voluntati satisfaceret, & ut saluti ac commodis meis prospicere-
tur; potiozem omni auro, omni Jaspide mercedem judicavi,
nempè Rabelem, bellam puellam, ipsius filiam, pactus cum eo-
dem de illâ, ut septem annorum spatium pro illâ servirem.
Annuit ille, placuit pactum, servivi. Elapso tempore, instituta
sunt nuptia, invitati proceres, viri egregij, conscripti amici &
hospites plurimi, ut Rabel illa, pro quâ servieram, in matrimo-
nium mihi collocaretur. Altero mane, cum omnia pridie hi-
lariter & sine suspicione doli essent peracta, ego postquam de
amplissimis DEI nostri promissionibus, de utroq; parente, alijs-
quæ cum sponsâ amanter conferre capi: ecce eam clarâ in-
luce intuens, Leam, non Rabelem video. Hic verò animo &
corpore simul conterritus: Quid, inquam, hoc rei est? sicc-
ne mecum agitur? Quin surgo & ad socerum festinans eo,
factum impium, ne dicam scelus objicio. Sed ille nescio quas
causas, quamquæ consuetudinem allegare. Tamen ut ac-
quiescerem, neque rem istam nimis urgerem, alteram
etiam filiam promisit; sed tamen eâ lege, ut & pro eadem in-
tegrum septennium servirem, Servivi. Et sic alteram,
prius exoptatam, vix agrè tandem nactus sum sponsam.
Notate, Judices, calliditatem & dolum, ne dicam malitiam!
Postmodum cum ipse cuperem cum uxoribus patrios lares re-
visere, ille mecum suppliciter egit, visâ domini benedictione
amplissimâ, quâ propter me & per me erat affectus, ut ma-
nerem.

nerem. Mansi; & ut ad rem tandem deveniam, de nigrâ
ac maculosâ pecude pactum denuò inij. Quod & ipsum ma-
ximè ex sententiâ Labanis fuisse, certum est: imò ipse metuere
visus est semper, ne ego illud rescinderem. Ex his itaque
vobis constare puto, Judices, quomodo ille ab initio adventus
mei mecum egerit, quantâ injustitiâ ipse in me fuerit & me-
am fidelitatem ac humanitatem, austeritate potius ac inbuma-
nitate plusquam tyrannicâ compensarit. Ego verò amplius
ostendam, me criminis, quod ille mihi intendit, non modò non
esse reum, sed prætereâ boni & fidelis servi officio semper fuis-
se functum. Antequam autem id facio, vos Judices æquis-
simi, ut benevolè & attentè auribus ea excipere, eademq; ex-
cepta acriter examinare, ad amussim recti incorruptiquè ju-
dicij probare, altiusquè considerare velitis, quò sententiam
optatam & justam deinceps ferre & à crimine intentato inno-
centem me prorsus absolvere possitis, etiam atque etiam oro
atque obtestor. Dixi me ablationis & furti crimen non solum
à me remoturum: sed etiam quasi digitis ostensurum, me fi-
delis servi officium omninò peregisse. Prius igitur ut ag-
grediar duobus me velut clypeis fortissimis, autoritate videli-
cet unâ divinâ; alterâ humanâ defendam, mequè his tricis,
quibus optima mei nominis existimatio implicata tenetur, pe-
nitus extrabam.

Divina ut me muniam autoritate, tanquã clypeo fortissimo,
DEUM ipsum testem voco & coram ipsius facie, inquè con-
spectu sanctorum angelorum publicè contestor, me quicquid
hoc nomine suscepi, DEO ipso autore & promotore susce-
pisse. Ille enim qui mihi, cum ex patria irem, in Betbel
apparuit

apparuit & promissionem dedit ditissimam, ille, inquam,
DEU Ster Opt. ter Max. mihi iterum hoc in loco, cum mole-
stis & injustitiâ multâ fatigarer, apparuit, me ipso nomine vo-
cavit, oculos levare iussit & videre omnes hircos super oves li-
neis distinctas, punctisq; parvis respersas & maculis albis:
addens insuper hæc verba: Vidi n. quæcunq; Laban tibi
fecit. Te igitur JEHOVA, Te DEUM Abraham & Isaac
patris mei, testem super hac re voco & invoco: Tu angelum
tuum misisti & id, cujus gratiâ immeritò accusor, me prius edo-
cuisti: Tu, qui divites facis citra laborem, modū & rationem
ostendisti, quomodo justâ mercede injustè spoliatus eandem im-
petrare & tandem obtinere debuerim. Nam quid faciendum
fuerit, ex illis haud obscure colligendum fuit. Hoc igitur, quod
suscepi, mihi furtum reputabitur? hoc crimini aut vitio mi-
hi dabitur? hoc cinè furtum? hoc crimen erit, quod instinctu
DEI intermittere non potui? Verùm enim verò ne cui vestrum
somnia mea narrare videar, quamvis certū sit, non ex cogita-
tionibus ista profecta meis, sed DEUM ipsum fuisse, qui mihi
locutus fuit, visionemquè illam immisit: Idcirco ad ea, que
humano iudicio sunt obvia accedam, ostendamq; me avunculo,
socero & hero meo injuriam non intulisse, sed illū timuisse &
dilexisse; non oscitanter sed alacriter rē ipsius curasse; non opes
minuisse, sed promovisse & auxisse. Quæcunq; etenim feci,
ipso consentiente feci. Appello hic, mi avuncule, tuam ipsius
conscientiam, nonnè cum tibi dicerem: Transibo hodiè tuum
omnem gregem lustratum, si quas aut oves, aut agnos, aut ca-
pras rubris, fuscis aut nigris pūctis, aut maculis affectas offen-
dero, seorsim collocabo, seorsim & reliquas, ut uterq; grex pascatur
distinctè & seorsim: & quæcunq; denuò nascentur bicolo-
res, eas

res, eas loco mercedis mihi attribues & hac ratione iustitia
mea aliquando mihi testis erit: contra, quae non maculis aut
lineis reperientur conspersa aut nigra, illas tibi furto detractas
dices. Nonne, inquam, res illa tibi optimè placuit? Ecce, in-
quiebas, accedo tuae sententiae, sit ut dixisti. En concedis non
modo, sed te etiam ad rem aptas, & non modò aptas sed & optas
sic fieri. Testatus itaque es, rem istam tibi tunc non displic-
uisse: sed ne nunc quidem illa amplius displicere debet. Ju-
reconsultorum enim haec regula; ut quod semel placuit, am-
plius displicere non debeat. At injuriam feci? Nullam: Vo-
lenti non fit injuria: sicut Jureconsulti iterum pronunciant.
At, inquis: quanquam tunc volui, nunc tamen revocare potui.
Non potuisti: Pacta enim sunt servanda, eademque legem
dant cuius contractui. Nonne enim mecum pactus es?
Omnino. Quid enim horum, here, infirmari potest? Optimè
nosti, quòd me jam jam in patriam cum uxoribus & liberis,
cum servis & ancillis, cum supellectile & pecude reversurum,
verbis vel melle dulcioribus detinebas bisce: Ini, quaeso, apud
me hanc gratiam, ut maneam: Sentio, meisque oculis video, res
per te meas florere, per te sarta teetaque conservari, illisque
eximiam fieri accessionem: posce itaque quam velis mercedem
& dabo tibi. Me verò inferente, me satis diu hoc saxum vol-
visse, & tempus esse, ut mihi meaque familia prospiciam; pra-
terea, magnam quidem tibi divitiarum exstitisse copiam;
me verò nihil inde commodi nancisci: Vehementius roga-
bas, pactum urgebas, de novo fieri cupiebas. Precibus igitur
victus, consensi, de maculoso grege pactum constitui. Ad vos
me converto, vos appello, Jureconsulti, vos dicite pro vestra
prudentiâ: annon hoc fuerit pactum legitimum? ab utraque
D parte

parte ratum & approbatum? Sed quid multis in re manife-
sta? Video vos annuere, & meæ sententiæ calculum adjicere.
Itaq; stantibus hisce, omninò existimo, pactum illud non muti-
landum, sed servandum fuisse, idemq; legem esse, quæ inter me
& avunculum meum omne illud discrimen unicè atque omni
jure tollat. Et quodnam illud, quæso, est, quod in me maximè
reprehendendum veris? Nimirum illud, quod stante pacto illo
artem liberalem exercui? Audi: proba materia probum arti-
ficem sortita fuit: quid enim aliud egi? quàm quòd, autore &
duce JEHOVAH, Physicis principijs edoctus, naturæ opus juvi
ac promovi. Nihil tentavi magicis artibus, quas semper toto
pectore odi & tanquam pestem, animam & corpus contami-
nantem, cane pejus atque angue fugi. Scio has ipsas à pro-
bo ac pio patrefamilias debere esse alienissimas. Nihil etiam
vel muneribus de alieno, vel vi quicquam rapui, vel dolo clan-
culum ad me pertraxi: sed unicè, unicè, inquam, liberalem ar-
tem exercui: Physicè in re œconomicâ versatus sum, virgas
populeas & amygdalinas & ex castaneâ decorticatas in cana-
libus & adaquatorijs statui, ut oves incalescentes super ipsis
conciperent. Didiceram autem hæc ipsa, ne quid te lateat, ex
parente meo. Quid? Majores nostri artes illas liberales e-
gregiè sunt professi, inter alia verò sigillatim hoc docuerunt,
imaginationem in conceptione non modò hominis, sed etiam
ceterorum animantium plurimùm posse. Tu ergò hæc
ignoras?

His de causis atque ex hac relatione meridianâ luce cla-
rius est, me peccati nihil commisisse. Aut si peccatum est,
peccatum erit agrum stercoreare, vites palis alligare, arbores
putare, aut qualibet ratione fecunditatem rerum natura-
lium

lium arte promoverē: cū tamen hæc potius ad prudentiam economicam pertineant, & bono cuius patrifamilias incumbant.

Sed heus in aurem, mi avuncule, mercedem mihi non denegasses, non detinisses, non minuisses, quæ omnia injusto ausu semper fecisti, ego de ejusmodi re sortasse non cogitassem, nedum eam suscepissem. Quicquid tamen sit, non injustus fui: non fur: qui meum curavi, omnes nervos intendi, ut omne illud damnum, modis tamen licitis, resarcirem. Jura equidem non intelligo: sed tamen existimo, si dominus iniquus & avarus servo mercedem non solvat, cujus quidem, aliâ ratione compos fieri non possit, non prorsus iniquum esse, si servus modis licitis & honestis, sibi usu bonorum Domini sui eam comparet. Jure enim ad ipsum pertinet, quod injuste detinetur.

Puto, Judices Amplissimi, me satis argumentorum adversus crimen illud adhibuisse, quo infamem adversarius meus me reddere cogitabat. Nijam molestus sim vobis, paucissimis ad alterum transibo, quo testabor, me hero non fuisse inobedientem, sed ad voluntatem paratum, non fraudulentum, sed fidelissimum. Quid enim intermisi aut neglexi eorum, quæ in fideli servo requiruntur? Considera quæso, mi avuncule, domus tuæ statum, dum in eadem annos viginti sedulo sum versatus. Oves tuæ & capræ tuæ non abortiverunt, arietes pecudum tuarum non comedi: interim sic me gessi, ut interdum me sol ipse exureret, æstus defatigaret, ne dicam absumeret. De nocte me gelu urisit & membra stupore affecit: somnum oculis non vidi: quid? non unquam in tuis rebus obediendis mea desiderata sunt vires.

Raptum verò in rationes non contuli, quod jus omne persua-
sisset. Qui enim servus, cum munus suum sine reprehensione
prestiterit & que facienda sunt, fecit, teneatur de illis, quae casu
aut fortunâ pereunt? Ceterum ego à furibus raptum, prædo-
nibus captum, feris dilaniatum, amissum, mortuum aut quo-
vis casu fortuito perditum non computabam, pœnas pro ipso
luebam, imò tu de manu meâ (quo jure, quavè injuriâ nun-
quam attendens) requirebas. Quanquam autem ista omnia
sunt facta: quid mercedis tamen obtinui? viginti annos ser-
vivi, septem de unâ, septem de alterâ filiâ, sex deniq; de nigrâ
pecude, & decies mercedem mutasti. Nî ipse (penè jurarem)
JEHOVAH à partibus meis stetisset, inanem & vacuum
me dimisisses. Sed gratias D E O illi, quas toto pectore concipi-
pere possum, ago, quòd comes mihi, imò præses, judex & autor
fuerit. Ejusmodi verò servum, qui talia fecit annon fidelissi-
mum censeamus? Quòd si rem ipsam loqui sinamus, testabi-
tur utique fidelissimam & inculpabilem servitutem me egisse.
Dici solet, non opus esse verbis, ubi rerum testimonia adsunt.
Novit ipse Laban, si vult nosse, quantus ejus grex fuerit, cum
ipsum accederem: Quicquid habebat ante me, paucum erat.
Sed uberrima secuta in domum illius benedictio ad ingressum
pedis mei. Non provoco ad testimonia aliorum; ad res tuas,
Laban, provoco: imò ad te ipsum. Sic enim inquiebas: Ex-
pertus sum, D E U M propter te omnibus fortunæ bonis me affe-
cisse. O iniquitatem perversam! O perversitatem iniquam!
Si perfriçta fronte eundem nunc injustum, nefandum, infide-
lem nomines, illum inquam, qui hero semper prodesse studuit,
qui detrimenta semper depulit, qui intimas preces semper ad
D E U M effudit, ut opes domini crescerent. Ac licet neminem
homi-

hominum videam aut sciam, quem testem adducam, minus tamen mihi labascit animus. Quin hac in re conscientiam mille testes, imò DEUM testem appello! Neque enim quâ ratione, quo tempore, quibus in rebus infidelis offensus fuerim, conscius mihi sum. Aut si talis fui, necesse est, ut id manifestò ob oculos ponatur, ut certum sit, quid abstulerim. Nosti totam meam substantiam, omnes res meas, quid reperies in illis, quod tuum sit? Omnem supellectilem visitasti, tetigisti, perscrutatus es: ecquid invenisti, quo me alligares furti? Aut si habuisses, non occulere, sed dum cognati aderant iudices, producere & in apricum proferre debuisses. Sed satis argumenti est, te nihil habere: cum alterutrum necesse sit, ut aut infidelem me demonstres, aut fidelem fuisse concedas. Scopulos & Syrtes periculosiores transnavigasse me sic arbitror. At licet quedam adhuc obstacula restare videantur, sine quibus portum attingere nequeo, tamen faciliori ac leviori labore illa, DEO me benè juvante, superabo. Quenam igitur sunt illa, quibus me furti alligare, imò furca & gabalo suffigere cogitabas? Age intueamur illa. Primò, inquis, impedito naturæ cursu omnia mea bona ad te pertraxisti. Egonè naturæ cursum impediui? Egonè? quis credit? Atqui hoc non in meâ, non in tuâ, non in hominis, sed ipsius DEI voluntate ac facultate positum: sino, sic loquaris potius: me naturam juvisse, id quod non eo inficias. Sed tamen injustum est. Nego: vel injustum quoque, erit agrum colere, occare, elapidare, fimo fertilem reddere, spinas eradicare, vites aut cucumeres palis alligare, eisdemque sitientibus aquam prabere. Atqui bona omnia ad te pertraxisti. Durum quidem telum! Sed quomodo excutiam, scio. Age ipsemet olim fassus es, te meo studio divitem

factum : quomodo ergo ablatione tua tibi subtraxerim. ?
Majorem quidem bonorum tuorum partem teneo : sed non do-
lo aut fraude acquisitam : imò D E I donatione illam possideo.
Fraudem hanc esse urges. Acutius cultello purgis, & vel den-
te mordes acriter. At curo ego facile & leviter. Tu quidem
fraudem appellas : sed quis præter te alius ? Nemo : velim pru-
dentiam, aut diligentiam fraudis vitio discernas. Addis in-
justitiam esse. Prorsus inficior. Non est injustitia. Itaque
desine in posterum injustitiam appellare. Habuisti mecum
pactum, quod præstiti : Benedictio D E I mecum versata est :
Quare illa pro me hodiè loquitur & me defendit justitia.
Instas : servum me esse, non dominum. Ridiculum ! Quid
istorum unquam negavi ? Sed si servus sum, an propterea à cu-
rà rerum domesticarum sum arcendus aut prohibendus ? For-
tunà atq; præmio gaudere non debui ? Quoquò te agis, Laban,
nihil tamen efficies, hodiè furti reus ut agar.

Ad vos igitur, Judices æquissimi, tanquàm ad asylum
confugio, vestra tutela me submitto, vestrum auxilium implo-
ro, defendite innocentem, propellite falsò accusantem. Per-
cepistis omnia ab ovo ad mala, quomodo ejus familiam acces-
serim, quomodo me gesserim, quomodo, quod caput est, non mo-
dò illius criminis, cujus accusor, innocens sim ; verùm etiam
quomodo probarim, me mei domini rebus operam dedisse. Ne
igitur illi temerè omnem fidem adhibeatis, non ita leviter in
illius sententiam eatis : Illius, inquam, quem ferreum puto
pectus habere erga cognatum, cognatum autem ? imò liberos.
Cum enim alij parentes vel scelera liberorum charitatis pallio
tegant, ille ubi nulla sunt, ostendere & detegere nititur, imò
manibus pedibusq; omnibus cogitationis viribus cujusdam cri-
minis

minis reos facere connititur. In liberos suos qui iniquus est, quomodo ille alienis æquus esse poterit? Vidistis, Prudentissimi Judices, hominis in accusando pertinaciam, impietatem, atrocitatem. Vidistis meam simplicitatem, fidelitatem, innocentiam. Vobis enim ille (etsi cuius imprudenti fortasse aut minus circumspecto) non ita facile persuadebit album nigrum, equum curvum, vobis, inquam, in hoc negotio bene probeque versatis & exercitatis. Quare, quas concipere possum, precibus contendo, ut rem equâ lance judicetis, justam sententiam feratis, me isto à crimine liberum pronuncietis, inque vestrum favorem & amorem suscipiatis.

DIXI!

O Mihi post nullos, **V V O L F I**, memorande sodales,
Si quæ prisca fides, canaq; jura valent.
Ingenuas, moneo, sic artes discere pergas:
Nam vitæ miseræ profluit inde decus.
Sic metam attinges studiorum, & vota parentis
Implebis; veniet gloria magna tibi.

*Valentinus Eugelingius Elri-
censis.*

Dum

Cuncta quòd semper varientur, ecce
Nunctuum, WOLFI, paradigma monstrat:
Non lupus pascit pecudes, sed ipse
Pascitur illis.

Tu sed econtrà placuisse pergas,
Ut pecus dicaris amâsse sanctum:
Sic tibi Pastor tribuet polorum,
Laudis honorem.

F.

*Henricus Geistius Sultzbagensis
Cheruscus.*

QVojam cæpisti, pòst cursu hoc pergito, WOLFI,
Tingendo eloquio corq; animumq; tuum.
Namq; reportabis certè sic præmia digna:
Ceutibi jam merces jure dicata fuit.

F.

*Johannes Sidelius Cölledanus
Tyrigeta.*



*N. di. Oratio Tertia Anst. No. 9
Estr. No.*

ADMODUM REVERENDO
EXIMIAE PIETATIS, AC DOCTRINAE EXCEL-
LENTIS LAUDE PRÆSTANTISSIMO
VIRO,

DN. M. BENIAMIN Starch,

NEC NON
REVERENDO, DOCTISSIMO,

DN. PAVLO Hirsch.

Illi quidem
Ecclesiae Mulhusinae Pastori ac Superintendenti
vigilantissimo;

Huic verò
Ecclesiae Tierungensis Pastori fidelissimo, cogna-
to suo amantissimo.

DN. MECOENATIBUS & FAUTORIBUS SUIS
debita animi observantia colendis

EXIGUAS HAS STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS
Candidè

DEDICAT, OFFERT

JOHANNES MYLIUS, NORT-
HUSANUS.

HAs, Meccenates, animo captate benigno
Primitias, studijs atq; favete meis!

Die Oratio Tertia n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.





Σὺν Θεῷ καὶ νῶ.

ORATIO TERTIA.

Scripta & habita

à

JOHANNE MYLIO NORTHUSANO
THURINGO.

Σπεῖδε βοῶντος: omnium ore situm & tritum decantatur
proverbium: *cujus si altius inspexerimus argumentum
& vinum, non minus aequè quàm justè nos fecisse constabit,
quòd memores illius ad discriminandam hanc & componen-
dam licem & causam, quæ adhuc nobis sub manu est, usq; adeò
prius non festinaverimus, quàm litigantes utrinq; rationes ex-
ponentes suas, audivissemus. Quod & Poëta ille præcepisse vi-
detur, sic inquit:*

*Da spacium tenuemq; morâ, malè cuncta ministrat
Impetus.* -----

*Nec imprudenter sanè dictum: nec inconsultò, si parebimus,
porrò à nobis erit factum! Omnino enim illustris vox est, &
digna, quæ omnibus omnium Principum, Dynastarum, illustri-
umq; Rerumpublicarum dicasterijs præfigatur, audiendam
nimirum & alteram esse partem. Hujus namque rei,
illam rerum omnium parentem Naturam, autorem habent Jus-
dices, quæ ideò duas ipsis fabricavit auriculas, unam accusan-
ti, alteram reo ut accommodarent. Et quis, queso, quis accu-
sata*

fata nos quoque parti patulas præbeamus aures, ultra dubitan-
dum censeret? cum rei partes favorabiliores esse semper vi-
antur. Sanè quispiam, cum rectam rem secum reputasset viam,
quanti putam præstaret incorruptum iudicium, non incongruè
dixisse fertur, se quidem aurem sinistram accusantis applica-
re; dextram verò rei reservare partibus: non immemor for-
tè illius, quod olim Poëta cecinit;

in dextera auris dicitur, se hanc uellet esse dicitur.

Sed quorsum hæc in primo orationis limine? nimirum iudabit,
æquissimo hoc jure iubente, non dominum tantum, dira accusa-
tionis tela in servum jaculantem audivisse, sed & servo, eadem
declinanti, aurem quoque præbuisse. Quin si justam rem lance
ponderemus, non iudare nos solum, verum decere magis, omni-
nò arbitramur, quò iudicis deinde justè fungi officio possi-
mus. Antequam verò hanc aggrediamur provinciam,
Auditor. & Assess. Magnifici & Amplissimi, uno verbulo,
remotis ambagibus rem omnem, de qua Labanum & Jacobum
litigantes singillatim audivimus, resumemus. Laban servum
hactenus habuit Jacobum ex sorore Nepotè & postea Generum;
mercede conductum tali, ut separatam pecudem albam à nigra &
maculosam, quicquid in universo grege maculosum nasceretur,
servi esset; domini verò reliquum maneret. Pactum utrinque
ratum & mutuo consensu comprobatum fuit. Jacobus verò
dexteritate quadam sibi opus esse iudicans, virgas variè decor-
tatas in adaquatorijs iusto ponit tempore, ut super ipsis pecu-
des incalentes concipiant; non sine ratione Physicam futurum
existimans, ut sic maculosum omne cresceret magis & augesce-
ret. Et factum est. Crevit sanè in immensum, ita quidem ut
maximam gregis partem ipse jam possideat. Herus rem istam

egrè ferens, & de pacto illo pœnitentiâ ductus servum furti
reum agit, & quòd impeditio aut mutato natura cursu alienum
invaserit, & quòd fraus ea fuerit & dolus pacto contrarius,
& quòd summa hac injustitia per correctivam justitiam ad
mediocritatem reducenda, & denique quòd eo ipso servus do-
minium affectarit; Dominus verò ipse ad paupertatem ferè
fuerit redactus. Servus tantum à se crimen repellens, facti
sui rationes reddit, sequè autoritate cum divinâ tum humanâ
munit, contenditque primò graviter se divino monitorem
illam suscepisse; prætereà volenti non fieri injuriam; pactum
fuisse utrinque comprobatum; se Physicè in re œconomica ver-
satum, liberalem artem exercuisse; herum mercedem detinu-
isse, detraxisse, minuisse; se verò boni & fidelis servi offi-
cium fecisse, ita ut ipse Dominus indè creverit; deniq; nec de-
monstrari posse, quòd quidem ablatum sit & infidelitatem
ac furtum posset arguere.

Illis ergò probè perceptis, & ultrò citroquè excussis, restat
excutienda questio, in qua litis cardo unicè vertitur, an Jaco-
bus ita callidè, ut videtur, circumveniendo Herum & focerum
rectè fecerit? Ne autem illotis, quòd ajunt, manibus sententi-
am feramus, accusator primùm monendus videtur, ut probè ad
servi sui attendat animù, an nò doli aliqua de eo fuerit suspicio,
num v. animum potius serviendi studio indefessum, & erga Do-
minum probè affectum observârit? contrà quid ipse erga ser-
vum animi habuerit: an illa quæ servo debentur justè ipsi sem-
per tribuerit; num verò aliquando injustè eidem subtraxerit
ea, quæ jure ad eum pertinuerunt? Monendus deindè hujus
quoque videtur, ut cautius rei attendat, & fraudem ab Oeco-
nomica prudentiâ, & in eadem solertiâ probè discernere
discat.

discat. Quibus ita stantibus, & illis quæ utrinquè dicta & adducta fuerunt, dextrè ad rationis lancem examinatis, non accusanti, quod opinari illa poterat, parti, sed accusata calculum adjicimus nostrum, & non justè Jacobum fuisse accusatum, penitùs arbitramur. At ne latam sententiam temere asseruisse videamur, decisionis nostræ rationes & fundamenta ordine promemus & coronidem causæ sic tandem prorsùs imponemus.

Primum non convenire inter se, sed maximè dissentire lucrum ex proprio divinitùs concessum, arteq; procuratum; & furtim fraudulento animo patratum, neminem, modò sanum habeat sinciput, negaturum unquam putamus. In finitibus enim parasangis distant, quæ summas maximasq; vitæ felicitates prestare, quæq; contrà summas maximasq; vitæ noxas afferre; imò mortem conciliare ipsam experimur. Tu nunc quæres, Laban, ex nobis, quorsum hæc evasura oratio? quare hoc homine tantoperè delectemur, & ipsi nunc præter expectationem tuam ad stipulemur? Causam dictam puta: nimirum existimamus, furtum illud non esse, si quis ex proprio lucretur, & lucretur divino instinctu, arte quadam liberali.

Mirum verò tibi apparere videtur, & addo difficile, quòd de propria facultate; mirum quòd de arte clamamus, à furto videlicet esse alienissimum. Sed est, undè jubare clariùs hæc liceat haurire. Num negabis, proprium & exiguum servi hujus tui peculium divinâ benedictione irroratum ad tantas ei facultates succrevisse? Quin intra animum descende, probè in eo perpende, num mercedem, quam te illi promiseras daturum, inviolabiliter dederis? annon ille industriâ eam vi-

gili & curâ semper summâ fuerit promeritus? Sed quid te a-
deo Saturninum video, severum, austum, nescio quid palato
immurmurantem? ac si, quæ dixi, placeant minus. Sic est. Sed
heus Laban, aures arrige, non me, sed leges audies dicentes;
tantum nos possidere, quantum subtracto ere alieno, nobis vi-
demus restare. Habes exemplar, jure ad te non pertinuisse
amplius, seruo quod debueras; pertinuisse solum, quæ debita
serui mercede soluta tibi manserint reliqua. Esto, quod sparsisti,
Jacobum plurimâ lucratû fuisse, quæstus maximos fecisse, rem
suam mirè auxisse. At ex proprijs & sibi debitis scito fuisse
factum. Lubet jam querere ex te, Laban, an cum seruo ist-
hoc tuo de mercede te pactum neges iniisse? fateor, inquis, me
iniisse. An istud, maculosas pecudes fore ipsius, neges pactum
fuisse? fateor, inquis, fuisse. Non est ergo quod dubitemus
amplius, hoc de quo disceptatur pecus, vel ipso hero confitente,
maculosum si fuit, Jacobi fuisse proprium. Non est, inquam.
Hic illud nobis à te fortè obversum iri suspicor, arte eum pecus
maculosum reddidisse; arte autem præter magicam ac fraudu-
lentam, nullâ. Injurius, injurius es, si ita pergis dicere. De-
fine male-dicere, male-facta ne noscas tua. Nullis hic tene-
tur fraudibus, non malis delectatur artibus, sed hic quicquid
fecit, Jehovahâ auspicante ac benedicente fecit: aut si qua arte,
arte certè liberali, quæ ut ex fonte omnis boni, DEO, proma-
nat, ita semper bona, nec non salubres maximeq; salutare in
omne vitæ genus suos effundit rivulos. Undè prudenter sanè
τωνων καιων dictas fuisse artes legimus. His enim florenti-
bus, florent Scholæ, florent Tempora, virent Respubl. vigent pri-
vata tecta; unanimiter attestantibus illis,

Quorum

Quorum ex ore gravi, ac resoluti nubibus imbres
Cuncta Periclæo fluxerunt verba lepore.

Imò, ut verbo dicam, fontibus hisce scaturientibus, scaturit & promanat omne ad nos bonum. Quis ergò vel ex his non cognoscat, Jacobum hunc nostrum à furti scelere alienissimum esse? Vis tibi, Laban, servo frugi & fideli, qua suâ opellâ expedienda incumbant negocia, paulisper adumbremus? Nos servo illi optimas certum est ascribere, qui ex animo omnia Domini opera facit, ejus commoda summâ vi, summâ industriâ procurat, summâque contentione omnia ad fidelissimam accuratamque officij demandati expeditionem referre satagit.

Quòd si ita, qua suarum sunt partium instituat, instituta verò prudenter atque solerter agere valeat, quis est, qui justè illum accusari, aut prorsus furti insimulari putabit? Contrà ille potius carbone, quod ajunt, atro, notandus erit, qui neglectis Domini rebus nulla ejus commoda intendit, atque adeò quod è re sua sit, tantum querit, propriâque omnia salute (ne dicam fraude) metiri conatur. Nimirum hic videas, secundum Poëtam, quid distent æra lupinis. Non ita servus hic: nec enim cujusquam horum insimulari potest. Nihil hic domui illius occultâ fraude subtraxit, sed sedulitate officij eandem prorsus auxit: nihil animi fraudandi habuit, sed serviles operas obeundo, fidei industriæve adhibuit plurimum. Atque hic obmutire nobis videretur Laban: bellè conveniunt, que de fidelitate servi mei ebuccinasti hablenus; annon dolus & malitia tum, cum serotina facerent pecudes, elucebat ejus maxima? Sed quomodo Laban? hic tum decorticatos non adhibuit baculos. Sed an propterea herilia commoda neglexit? D. E. O. potius & natura opus permisit suum. Quid enim aliud ageret? Non nosti

nosti quod ajunt, DEUM & naturam nihil facere frustra? At de fortioribus sibi providebat, reiꝑ, sic proprie studebat. An hoc prohibitum? & si hoc, rerum omnium vindex prohibuisset. Namque ut verè cecinit Poëta: ἔχει θεὸς ἐκδικῶν ὄμματα. At enim non prohibuit, ut jusserit potius. Et quis bonam artem prohibeat? Age, tuus ipsius judex jam esto, annon te bonum patremfamilias decuisset, candidum pecus simili arte ut augeres, industriavè ut conservares simili? Pariter enim licuisset. Quis enim adeò sit hospes in natura, ut nesciat magnam esse artis vim in utramq; partem? Nam & ars quandoque arte eluditur. Aut si hoc artificium nolisses admittere, pactum ipsum non admisisses. Quod dum admisisti, tacitè visus es approbare id, quò maximè res illa potuit promoveri. At sic omne ad se pertraxit pecus. Ne obtundas ultrà quàm fas est, nam furor sit laesa sapiens patientia. Ad mentem ipsemet redi, an credibile videatur, cum & candidum passim remanserit. Quæ cum ita sint, quid est, quod optet magis reus noster, præsertim cum, quò magis intentatum illi crimen pars adversa urgeat, eò magis ejus innocentia exsurgat, prodeat, eluceat?

Rationes, Laban, tuas, quibus nos impugnas, refutare, officij nostri non esse arbitramur; nec opus esse admodum. Quid enim singulis ferè dictum jam sit, abeundè satis te putamus percepisse. Unum tamen & alterum non possumus, quin unà tibi operà eximamus scrupulum: Fortassis existimabis, si hoc demus servo tuo, malo exemplo nos indulgere, ut quod alij servi promptè sint imitaturi. Sed hinc tibi Philosophorum illud obvertimus: Duo cum faciunt idem, non est idem. Existimamus autem, sed & verè & rectè ratiocinamur, si

mur, si sit ita, necesse fore, eadem sint causa, eadem facti cir-
cumstantia. Quas si nobis dabis, dabimus nec inviti, quod
quicumq; fuerit, eodem cum Jacobo jure omnino fruatur. Sed
tamen vereor, ut servi omnes pariter sitis eadem fidelitate,
eademq; pietate & religione, qua hic noster fuit. Vos rem ve-
stram gerite, fideles Dominis estote, rem ipsorum custodite, jus-
saq; eorum protinus expedite. Ne sitis fallaces & socordes;
Jacobaeos praebeate vos potius, pios & candidos; ne in nervum
vobis nec opinantibus vestra erumpat improbitas. Sed & vos
Domini pariter, qua vestrarum sunt partium, facite, mercedem
quam servis debetis, ipsis sponte sed & mature persolvite.
Memores estote triti illius, bis dat, qui cito dat. Nam ut cum
Poeta loquar:

Si bene quid facies, facias cito, nam cito factum
Gratum est, ingratum gratia tarda facit.

Et sane verisimum illud:

In caelum clamat merces detenta laborum.

Et quia clamat ad caelum, ideoq; etiam DEUS clamantem
sape exaudit, servo magis quam Domino caelitus benedicit, imo,
quod mirari nos oportet, invertit vices, ut servitutem fidelem
& piam injusto non dubitet praeficere dominio. Vere enim
DEUS Opt. Max. vindicem habet oculum & quamlibet inju-
stitiam justam compensatione tollit. Sed nempè fraudis tibi spe-
ciem subinde imaginari, Laban? Concedimus, fraudis speci-
em primo intuitu apparere: sed revera fraus non est. Solertia
est, & prudentia, prudentia inquam aconomica. An vero
hanc pari cum fraude passu ambulare somnias? Quin omni-
um potius Philosophorum huc confluunt sententia, illud ipsum,
quod malum sibi finem habeat propositum, & ad eum conse-
quendum

F

quendum

quendum media adhibeat non bona, fraudem appellari. Unde
ταρσειας quoque, calliditatis, versutia, nec non astutiae illa,
nomine venire consuevit. Apage igitur cum tua sententia,
quã si quid alteri contingat, quod damnosum sit, hoc fraudem
putas. Non includi angustiis hanc cancellis scias, non si infortu-
nia reslent sapius, fraudibus id imputari debere credas, cum ea
propria sæpè culpã, haud injustè patiamur. Dicis: damnum
à meã fuit parte; per justitiam igitur potius, quam vocant,
Correctivam, ad mediocritatem reduci omninò decebit. Audi
Laban. Si ex me queras, quis rei jacturam dicatur fecisse?
dico, cui ab initio subtracta. Si queras iterum, an Jacobo hoc
quoque contigerit? dico contigisse; contigisse autem in merce-
de initio illi subtracta. O igitur immeritam ejus jacturam!
O iniquum istius autorem! dignum nempe, quem! Sed præ-
stat hoc quicquid rei est, totum ter summo S. Max. vindici re-
liquisse. Vindicavit DEUS ipse justissimus, atq; adeò salu-
tare medium, qui suis potiretur Jacob, insperantibus reduxit
omnibus.

Quare nunc, Assessores Magnifici & Amplissimi,
causã utrinquè perceptã, jure bono ac merito pronunciamus,
hominem hunc, quem tum generis dignitate, tum natura im-
primis, atque ingenij in efferenda arte mirã felicitate videtis
comprobari, furti minimè reum; adeoque injustè ab hero ac-
cusatum fuisse. Nec est jam, quod in decidendã causã hac
dissimulemus longius: Te igitur immeritum ac innocentem,
Jacobe, agnoscimus, pronunciamus, absolvimus. Te verò,
Laban, injustum accusatorem monemus, ut res fortunãq; atq;
omnia, quae possidet Jacob, ipsi integra, salva, facta teãque
relin-

relinquas. Quin te hortamur, ut dictorum memor, in alijs
quoque caveas, cautiùs mercari discas, & in latà jam
sententià deinceps prorsùs acqui-
escas.

D I X I !

TE nuper, M Y L I, series veneranda virorum
audijt è Cathedrâ verba diserta loqui.
J A C O B I partes tutatum audivimus omnes;
J U D I C E te L A B A N labe notatus abit.
Ingenij specimen prodis; didicisse fateris,
Dum fuit eloquij dulcor ab ore tibi.
Perge age: sic certò quondam numeraberis inter
Claros eloquio judicioq; viros.

Sincera amicitia ergò adposuit
Joachimus Blæsingius Wehdanus
Saxo, Gym. Mulh. Alumn.

ET te cùm assiduum in sacris Apollo
Castris Pieridum videret, inquit:
En hic M Y L I us ille miles, aptus
Musis: namq; suum facit libenter,
Constanter facit hic suum. Sorores
Hinc ipsum meritò beare quondam
Omnes constituere. Jam sat esto,
Sic à Pallade roborasse mentem,
Ut certaminis hoc genus Dicastes
Cum consortibus ausit experiri.

Andreas Schwackhein Hattorpiensis
Cheruscus.

F 2

Litibus

Litibus insonem justâ ratione Jacobum
Dum, Myli, solvis, munia justa facis.
Vincit herum Servus, vincat sic quilibet insons,
Ut mancant Themidos robora firma sacræ.
Maeste illo studio, Myli, te rursus amicum
Suscipiet gremio, candida Diva suo.

Amicitia ergò adposuit

Petrus Alberti Elricensis Cheruscus.



Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**


Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**



ΣΤ'Ν Θ
 JACOBUS
 JUSTITIA DE JA
 XAMEN
 Q V A
JACCO
 CALLIDE CIRCU
 AC SOCER
 RECTE
 IN GYMNAS
 TRIBUS ORATIONIB
 PUBLICO EXA
 EX
 DIR
 M. GEORGIO -
 Poëta L. Ca
 III. K
 ANNO C
 clo l
 Mu
 PRÆLO



13
 14

